





DISSERTATIO INAUGURALIS,  
DE

**USU PRACTICO  
DISTINCTIONIS HO-  
MINUM IN INGENUOS ET  
LIBERTINOS,**

QVAM

**RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,**

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORVSSIÆ, MARCHIONE BRAN-  
DENB. ET DUCATUS MAGDEB. GUBER-  
NATORE, RELIQUA.

EX DECRETO ET AUCTORITATE ILLUSTR. FCTOR. ORDINIS  
PRÆSIDE

**DN. CHRISTIANO THOMASIO,**  
POTENTISSIMI BORUSSIÆ REGIS CONSILIARIO  
INTIMO, UNIVERSIT. FRIDERICIANÆ DIRECTORE  
AC PROFESS. PRIMAR. ET FACULTAT. JURID.  
ORDINARIO, h. t. DECANO,

**PRO LICENTIA,**

SUMMOS IN VTROQUE JURE HONORES ET PRIVILE-  
GIA DOCTORALIA LEGITIME CONSEQUENDI  
IN AUDITORIO MAJORI

Ad D. 7. OCTOBR. ANNO MDCCXI. HORIS ANTE ET POMERIDIANIS  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

**ARNOLDUS von der PORTZEN, CLIVIA-CLIVENSIS.**

HALÆ MAGDEBYRGICÆ, LITERIS SALSFELDIANIS.

VIRO NOBILISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO  
**ARNOLDO HER-**  
**MANNO**  
von der **PORTZEN,**  
Jcto, ORDINUM DUCATUS  
CLIVÆ SYNDICO BENE  
MERENTI,  
**PATRI INDULGENTISSIMO**

Hanc Dissertationem inauguralem  
sacram facit

*ARNOLDUS* von der **PORTZEN.**



DISSERTATIO INAUGURALIS,  
DE  
USU PRACTICO DISTIN-  
CTIONIS HOMINUM IN IN-  
GENUOS ET LIBERTINOS.

CAPUT I.

Explicatio & emendatio institutio-  
num juris Romani.

SUMMARIA.

*In liberis hominibus multa differentia. §. 1. Sunt vel inge-  
nui vel libertini. §. 2. Ingenuus quis jure Romano. §. 3.  
Libertinus quis. §. 4. Manumissio quid. §. 5. Manumis-  
sio per censum. §. 6. Per vindictam. §. 7. Per testa-  
mentum & codicillos. §. 8. In ecclesia. §. 9. Per epi-  
scopam, inter amicos, per convivium. §. 10. Justiniani  
dispositio de quinque testibus adhibendis. §. 11. Alii mo-  
di libertatem servis dandi. §. 12. Inter quos multi a Ju-  
stiniano inventi. §. 13. Usus distinctionis inter ingenuos*

A 2

&

Et libertinos. §. 14. Quo sensu ingenuorum unus sit sta-  
 tus. §. 15. Quid libertatis nomine veniat in definit. in-  
 genuorum. §. 16. Fura privata ingenuorum. §. 17. Li-  
 bertorum olim una libertas cum ingenuis. §. 18. Quod  
 amplius non ferebat utilitas Reip. tempore Augusti. §. 19.  
 Hinc lata lex Ælia Sentia. §. 20. Quæ quosdam li-  
 bertos voluit uti jure dedititiorum. §. 21. Populi dediti-  
 tii qui. §. 22. Fura libertorum dedititiorum. §. 23.  
 Porro Tiberius lata lege Junia Norbana, introduxit la-  
 tinos Junianos. §. 24. Fura latinorum Junianorum.  
 §. 25. Differentia inter natalium restitutionem & jus  
 aureorum annulorum. §. 26. Historia juris aureorum  
 annulorum. §. 27. Libertorum dedititiorum & latinorum  
 comparatio. §. 28. Etiam secundo seculo constitutiones  
 illæ de libertinis in usum revocata. §. 29. Justinianus  
 tollit differentiam inter ingenuos & libertinos salvo jure  
 patronatus. §. 30. An prudenter. Fragmenta juris ve-  
 reris in pandectis. §. 31. Excursus Justiniani. §. 32. An  
 primus differentiam illam sustulerit. §. 33.

## §. I.

*In liberis ho-  
 minibus mul-  
 ta differen-  
 tia.*

**D**E servis hætenus. In liberis hominibus ea-  
 rumque conditione multæ sunt differentiæ. (a)  
 Cum enim omnis status jus variet, erit eti-  
 am liberorum hominum jus pro differentiâ  
 status differens, sive publicum siue privatum. Idque  
 apud

(a) §. ult. instit. de jure person.

(b) d. §.

apud omnes gentes ita obtinet, ergo tam apud Romanos, quam Germanos.

§. II.

Primaria differentia olim erat, quod homines liberi aut ingenui essent aut libertini. (b)

*Sunt vel ingenui vel libertini.*

§. III.

Ingenuus apud Romanos est, qui a matre a tempore conceptionis ad tempus partus vel ad momentum libera natus est, etiamsi conditionem suam ignorans servierit, & postea manumissus fuerit. (c)

*Ingenuus quis jure Romano.*

§. IV.

Libertini sunt, qui deserunt esse servi, quod potissimum fiebat manumissione. (d)

*Libertinus quis.*

§. V.

Manumissio est de manu, id est, potestate Domini missio, seu datio libertatis solennis, consensu domini facta. (e) Et hic modus quatenus a solennitate abstractus, est juris Gentium. (f)

*Manumissio quid.*

A 3

§. VI.

(b) *d. §. ult.*

(c) *pr. & §. i. inst. de ingen.*

(d) Nam sunt & alii modi secundarii, quibus quis absq; manumissione definebat esse servus, de quibus mox dicemus. Ita etiam conciliantur duae definitiones libertinorum quorum utramque attulit Tribonianus *pr. inst. de libert. Primam initio principii: libertini*

*sunt, qui ex justa servitute manumissi sunt. Secundam in fine: Libertini, qui deserunt esse servi.*

(e) *Argumento inst. de libert. juncto §. i. Principium continet primum definitionis membrum. Posterius defunctum est ex §. i.*

(f) *Justinianus dicit d. pr. Manumissionem a jure Gentium originem sumfisse, id est, qua-*

## §. VI.

*Manumissio  
per censum.*

Antiquissimus modus manumittendi apud Romanos est, qui fiebat censu, cum nempe servus jussu domini, in comitiis nomen suum in censum lustralem conferebat. (g)

## §. VII.

*Per vindictam.*

Succedebat alter per vindictam coram Proconsule, Consule Prætoris, Præfide, etiam in balneum & theatrum eunte: quomodo primus Vindicius, Vitelliorum servus manumissus esse creditur. (h)

## §. VIII.

*Per testamentum & codicillos.*

Post leges XII. tabularum fiebat etiam testamento & codicillis, idque verbis vel directis: *Davus servus meus liber*

quatenus abstrahit a solemnitate. Nam solemnitates sunt a jure civili.

(g) Hic modus per Servium Regem est institutus, & videtur defuisse jam tempore Tiberii Imperatoris, sub quo comitia e campo ad patres translata sunt: Certe multo ante Ulpiani tempora defuisse patet ex fragmento Ulpiani. Quare etiam hunc modum omisit Justinianus §. 1. *inst. b. t.* Adde Oisiel. *ad Caji inst. lib. 1. tit. 2. pag. 17.* Wilhelm a Loon *de manumiss. serv. apud Romanos lib. 1. cap. 1. §. 4. & toto cap. 2.*

(h) §. 1. & 2. *inst. b. t.* Romæ coram Consule & Prætoris, in Prouinciis coram Præfide & Proconsule, item & coram præfetto Ægypti, & coram Magistratibus municipalibus. In universum apud omnem Magistratum, qui legis habebat actionem. Oisielius *ad inst. Caji d. l. 1. tit. 2. p. 18.* Livius *lib. 2. c. 5. Præmium indici pecunia ex arario, libertas & civitas data est.* Ille primum dicitur vindicta liberatus: Quidam vindicta quoque nomen tractum ab eo putant. Vindictio ipsi nomen fuisse. Adde Loon *d. l. cap. 3.*

(i) §. 1.



liber esto; Unde liberti Orcini: vel precariis: *Rogo heredem meum, ut Davum manumittat.* Si sub conditione iis libertas daretur, dicebantur statuliberi. (i)

§. IX.

Postea lustrali censu sub Imperatoribus intermisso, in locum manumissionis per censum a Christianis Imperatoribus suffectus est modus manumittendi in Ecclesia. (k)

*In ecclesia.*

§. X.

Denique fiebat etiam per epistolam, qua Dominus testabatur, se servo libertatem dare, aut inter amicos, aut convivii adhibitione, cum expressa testatione Domini, quod servum suum jubeat esse liberum. (l)

*Per epistolam, inter amicos, per convivium.*

§. XI.

Sed manumissionem per epistolam Justinianus tum demum efficacem esse jussit, si quinque testes subscripserit.

*Justiniani dispositio de quinque testibus adhibendis.*

(i) §. 1. *inst. h. t. junct. §. 2. inst. de sing. reb. per fideicom. relist. §. 1. ff. de statu liberis.* Oiselius d. l. p. 14. Loon l. 1. c. 4.

*seu censura morum cap. 2. Adde Oiselius d. l. p. 15. 16. Loon d. l. cap. 5.*

(k) Hinc & Imperator §. 1. *inst. h. t. modum manumittendi in ecclesia primo loco refert, quia suffectus hic modus in locum modi primi manumittendi per censum Censorum autem officium non quadrare ad statum Reip. Monarchicæ probavit Dn. Praes in differ. de judicio;*

(l) §. 1. hic. Manumissionis per epistolam exemplum habes in l. 38. ff. de acquir. possess. & apud Eustathium lsm. lib. 1. De manumissione inter amicos conf. Plin. l. 7. epist. 26. Martial. lib. 9. Epigr. 88. Ulpian. Fragm. tit. 1. Adde Oiselius p. 21. seq. Loon lib. 2. cap. 2. 3. 4.

(m) l.

scripserint, & eam quæ inter amicos, si nimirum quinque testes præsentés fuerint. (m)

## §. XII.

*Alii modo libertatem servis dandi.*

Sunt & alii multi modi, quibus quis citra manumissionem apud Romanos libertatem consequatur. Qui communiter ad duo summa genera possunt referri. Vel enim invitis Dominis servi libertatem consequantur, vel ex voluntate quidem Domini, sed non diserte, quod libertatem Dominus servo dare velit, declarata. (n)

## §. XIII.

(m) *L. un. §. 1. & 2. Cod. de latina libert. tollend. Wissenb. ad d. l. un. p. 23.* Unde fallitur, aut certe obscure loquitur Loon d. c. 2. §. 3. quasi scilicet jam ante Justinianum in manumissionibus per epistolam aut inter amicos quinque testes præsentés esse debuerint, teste videlicet Justiniano d. l. un.

(n) Scilicet 1. si servus domini necem vindicasset *L. 1. Cod. quibus ex causis servi pro præmio &c.* 2. Si falsarium moneat, virginis raptorem, desertorem militiæ detulisset. *L. 2. 3. 4. Cod. eod.* 3. Si ægrotus a Domino per vim fuisset ejectus, neque alterius curæ demanda-

*tus l. un. §. 3. Cod. de lat. libert. toll.* 4. Si liberam duxisset domino consentiente *Auth. ad hoc Cod. eod.* Si eum dominus adoptasset *§. fin. inst. de adopt.* 6. Si eum suum filium appellasset *l. un. §. 10. C. de lat. libert. toll.* 7. Si voluisset testator aut hæres, ut servi pileati funus domini comitentur *d. l. unic. §. sed & qui.* 8. Si servus per annos 20. in libertate esset mortuus *l. fin. Cod. de long. temp. præscript. qua pro libert.* 9. Si post quinquennium in possessione libertatis mortuus fuisset *l. fin. ff. de statu libert. post quinqu.* 10. Si servus a domino hæres vel tutor esset scriptus *pr. inst. de hered. qualit. §. 1. inst. qui testam.*

§. XIII.

Cum vero inter istos modos haud pauci sint, a Justiniano demum inventi, præter aut contra mores Romanorum antiquos, (o) latus se quidem offert campus differendi & examinandi, utrum mores Antejustiniani aut novatio Justiniani magis fuerint Reip. utiles. Ubi vereor, ut palmam obtinuissent constitutiones Justinianæ, (p) Sed istam quidem discussionem ideo seponimus, quia jus Romanum quod modus hęc

Inter quos multi a Justiniano inventi.

recen-

flam. tut. 11. Si ancillam dominus prostituisset l. un. §. 4. C. de lat. libert. toll. 12. Si mancipium Judæi ad orthodoxam pervenisset religionem. 13. Si mancipium Christianum Judæus possedisset vel circumcidisset tot. tit. C. ne mancip. Christ. l. 56. §. ult. C. de Episc. & Cler. 14. Si servus a Domino sacro cubiculo Principis fuisset oblatu l. jubemus C. de præsecl. sacr. cubic. 15. Si servus Clericus aut Sacerdos esset factus, etiam invito domino. Nov. 5. c. 2. §. 1. Nov. 123. cap. 17. De his modis ulterius vide Loon. lib. 4. c. 1. Ravard. de autor prud. cap. 7. Briffon. formul. lib. 7. p. 620. seq. Tholof. synt. jur. univ. lib. 4. c. 6. Donell. 2. Comm. 12. 13. 14. 15. ibique

Hilliger. Vigel. meth. jur. civil. l. 19. c. 5. seq.

(o) §. 3. inst. de libert. in fine. Vide leges in præcedenti nota ad singulos modos allegatas, unde facile patebit, quænam ex illis sint Justiniani.

(p) Ignoscant adoratores Justiniani. Etfi fabulam faciunt multa, quæ Procopius Anecdotis de stupiditate Justiniani attulit, non is tamen fuit Justinianus, a quo exemplum sumendum habeant Principes in legibus ferendis. Ut patebit ex mox dicendis, & ex notandis ad alios etiam institutionum titulos. Neque seculum etiam Justiniani ferebat homines genuina prudentia Politica præditos.

B

(q) Ut

recensitos non habet usum practicum apud Germanos. (q)

## §. XIV.

*Ufus distinct.  
inter ingenuos & libertinos.*

Ufus distinctionis hominum liberorum in ingenuos & libertinos apud Romanos ille erat, quod omnium ingenuorum unus esset status, libertorum autem tria essent genera, civium Romanorum, latinorum, dedititorum. (r)

## §. XV.

*Quo sensu  
ingenuorum  
unus sit status.*

Hoc est, etsi ingenui dividerentur in Nobiles seu Patricios & plebejos, (s) hique diversi ingenuorum status diversis quoque intuitu juris publici, v. g. suffragiorum, honorum, stipendiorum &c. juribus uterentur; omnes tamen ingenui, quoad jus privatum uno & simili jure utebantur, id est omnes hoc intuitu æque erant cives. (t)

## §. XVI.

*Quid libertatis nomine  
veniat in  
sensu, ingen.*

Quare in definitione ingenuorum intelligenda est legitima libertas, qua quis non solum liber a Domino est, sed & qua quis civis Romanus est. (u)

## §. XVII.

(q) Ut patebit ex dicendis cap. seq.

(r) §. 3. *inst. h. 2.* Cajus in *fragm. tit. 2. in princ.*

(s) Huc etiam referenda divisio similis ingenuorum in gentiles & vulgares, cujus meminit Matthias Stephani *ad Nov. 78. p. 408.*

(t) Dion. *Halic. lib. 1.* Franc. Balduin. *ad inst. de jure persona-*

*rum in fine.* Paul. *Voët. ad §. 3. hic. p. 124.*

(u) Cicero *pro Cecinna.* *Quis potest ex jure Quiritium liber esse is, qui non est civis?* Hinc forte Tribonianus etiam divisionem liberorum hominum in cives & peregrinos non peculiariter tradidit. Adde Oisfeld. *d. l. p. 12.*

§. XVII.

Gaudebant igitur ingenuiomnes jure connubio. *Jura privata ingenuorum.* rum, testamenti, nexus, mancipii, patriæ potestatis &c. Maxime vero, quod testamenta facere & ex testamento acquirere possent. (w)

§. XIX.

Libertos vero quod attinet, erat olim in statu Re- *Liberorum olim una libertas cum ingenuis.* gio, cum Servius Tullius servos in censu manumissos eadē nempe, quam Dominus manumittens habebat intuitu juris privati, etsi intuitu juris publici liberti saltem omnium jurium, quibus plebeji utebantur, facti fuerint participes. (x)

§. XIX.

Quamvis autem Servius Tullius hac exæquatione *Quod amplius non se- rebat utilitas Reip. tempore Augusti.* ne libertorum & ingenuorum pro illo rerum statu non imprudenter fecerit, aucta tamen republica, & crescente luxu, Augusti tempore jam res eo devenerat, ut serviti insigniter nequam a dominis imprudentibus vel pariter scelestis manumissi stomachum moverent viris de decoro Romano & damno Reipublicæ sollicitis. (y)

B 2

§. XX

<p>(w) Vinius in notis hie. Ga- jus tit. 2. §. 4. &amp; ibi Oisc. p. 39.</p> <p>(x) §. 3. in fl. hie versic. quia &amp; a primis &amp;c. Dion. Halicarn. Antiq. Rom. lib. 4. cap. 26. Loon. lib. 1. c. 1. §. 2. &amp; 4.</p> <p>(y) Graviter eam in rem dis- serit Dionysius Halic. Antiq.</p>	<p>Rom. l. 4. c. 28. Quia in servitu- tum mentionem incidimus, inquit Gelenio &amp; Sylburgo interpre- te, necessarium mihi videtur hoc loco dicere, quanam circa servitia rum temporis Romanorum fuerint instituta, ne vel Rex ipse (Servius Tullius) qui primum aggressus est, e liber-</p>
--	---

e libertis cives facere, vel, qui hanc legem receperunt, reprehensionem cuiuspiam incurrant, quasi bona temere profundant. Parabantur ergo servi modis iustissimis, aut sub hasta empti e præda publica, aut ab ipsis dominis bello capti, & Imperatoris permisso detenti, cum ceteris militia commodis: aut emti ab his, qui talibus modis eos sibi comparassent. Non inonestum igitur aut inutile civitati putavit Tullius, & qui ejus institutum sunt secuti, si, qui belli jure patriam & libertatem amisissent, ab heris suis, vel iis, qui primi eos mancipassent, vel iis, qui ab aliis eos emissent, utcumque istud bonum recuperarent: Assuebantur autem libertatem plurimi gratis, (atque hæc manumissionis optima erat ratio) pauci autem numerato pretio, quod labore per jus & fas conquississent. At non ita nostro tempore, sed talis est rerum confusio, & sic ad sordes ac ignominiam degeneravit Romanorum probitas, ut nonnulli a latrocinii, parietum perossionibus, prostitutionibus, omnibusque aliis sceleribus pecunia collecta libertatem redimant, statimque se Romanos faciant; alii conscii dominis & focii veneficiorum, homicidiorum,

facinorumque tum contra Deos, tum contra Remp. susceptorum, eam ab illis gratiam recipiant. Quidam ideo manumittantur, ut acceptum e publico frumentum menstruum, & si quæ alia liberalitates in egenos cives conferuntur a Principibus, dent his a quibus facti sunt liberi. Alii per herorum levitatem gloriam inde captantium. Scio qui tota servitia testamento libera esse jussissent, ut benignitatis laudem serrent post obitum, & in funeris elatione lecticam eorum magna pileatorum persecueretur frequentia, in qua pompa quidam erant, ut a scientibus audivi, recens dimissi e carcere malefici, mille supplicia commeriti. Istos impuros urbis pileos plerique cum stomacho aspectant, & respiciunt eorum consuetudinem, indignum facinus clamitantes, populum rerum dominum, & usurpantem sibi orbis imperium talibus contaminari civibus. Sunt & alia multa reprehensione digna, quibus licet recte instituta sint a majoribus, hæc atas abutitur. Ego tamen hanc legem non tollendam censeo, ne quod gravius malum Reipubl. inde proveniat, sed corrigenda, quæ possunt corrigi, non negaverim, nec dissimulandum tantum dedecorum

§. XX.

Prudenter itaque Augustus a colluvie servilis sanguinis incorruptum servare populum intendens lege *Hinc lata lex Ælia Sentia.* Ælia Sentia lata partim intemptivum manumittendi prurium, partim servorum manumissorum jura coercuit & limitavit. (z)

§. XXII

In qua etiam illud constitutum, ut servi antea a domino pœnæ causa vincti, quibus vestigia inscripta fuerint, propter noxam torti, aut ut ferro, & cum bestitiis pugnarent traditi, postea manumissi uterentur saltem jure deditiorum. (a)

B 3

§. XXII.

corum & macularum ineluibilium in civitatem invebi. Quæ cura maxime ad Censores attinet, aut certe ad Consules. Opus enim est Magistratu magna potestate prædito, ut eos, qui singulis annis manumittuntur, examinet, qui sint, qua de causa & quomodo libertatem assecuti sint, quemadmodum in Equitum & Senatorum mores inquiritur: Deinde, qui digni civitate comperti fuerint, in vrbibus adscriptos sinant urbem incolere, scelestam vero & impuram multitudinem honesta specie ablegent aliquo in coloniam. Hæc sunt, quæ postulante argumento justum & necessarium existimavi apud eos

dicere, qui Romanorum mores carpunt.

(z) Suetonius in Augusto cap. 40. Dio Cassius lib. 55. p. m. 556. Antonius Augustinus de legibus, hæc lege.

(a) Ulp. fragm. tit. 1. Cajus lib. 1. tit. 2. §. 3. Oisellius ibid. p. 24. seq. Loon. lib. 2. cap. 8. Limitationes aut potius explicationes hujus capitis habet Paulus sent. lib. 4. tit. 12. §. 3. 5. 6. 7. 8. Tormentis apud Præsidem subiectus & de nulla culpa confessus ad justam libertatem perducipotest. Communem servum unus ex sociis vinciendo futura libertati non nocebit. Inter pares enim senten-

## §. XXII.

Populi dediti-  
tium qui.

Erant vero populi dediti, qui armis Romanis ad extrema redacti, vel ex alia gravi necessitate impulsit se, urbem, agros, aquas, terminos, delubra, utensilia, divina humanaque omnia in potestatem populi Romani dederant. In signum autem hujus deditiois plerumque sub jugum mittebantur. (b)

## §. XXII.

Jura liber-  
torum dediti-  
tiorum.

Uti igitur dediti populi jure civitatis Romanae non acquirebant, ita & liberti dediti jura ingenuorum & libertatem illam civilem non acquirebant, sed saltem libertatem juris Gentium, quod domino carerent, imo nec unquam poterant ad jura civitatis Romanae aspirare. (c)

## §. XXIV.

sententias clementior severiori  
presertur. Et certe humana ratio-  
nis est, favere inferioribus, &  
prope innocentes dicere, quos ab-  
solute nocentes pronunciare non  
possumus. Debitor creditorve ser-  
vum pignoris vinciendo dediti-  
um facere non possunt. Alter enim  
sine altero causam pignoris dete-  
riorem facere non potest. Servus  
furiosus domini vel pupilli jussu vin-  
ctus deditiorum numero non effi-  
citur, quia neque furiosus, neque  
pupillus exacti consilii capax est.  
Non tantum si ipse dominus vin-  
ctus, nocet libertati, sed & si vin-  
cti jubeat, aut vincientis procura-

toris actorive factum comprobet.  
Quod si, antequam sciret vincium,  
solutionis ejus causas approbave-  
rit, libertati futura vincula non  
nocent.

(b) Oiselinus p. 24. ex Livii  
lib. 1. § 9. Dion. Halic. lib. 3. c.  
28. Romanis mos quoties hostes  
traditis armis deditioem facti-  
unt, duo tigna recta humi desig-  
re, hisque tertium transversum  
superimponere, captivosque sub  
ista tigna ductos transmittere at-  
que liberos ad sua dimittere. Hoc  
ipsi jugum vocant.

(c) Sveton. in Augusto c. 40.  
Cajus



§. XXIV.

Successor Augusti Tiberius eadem ratione, qua Augustus commorus lege Junia Norbana limitavit jura manumissionum variis modis. Potissimum caput illius legis erat, ut qui epistola vel inter amicos vel convivii adhibitione (non observatis videlicet illis requisitis, quæ Justinianus postea his modis manumittendi præscripsit, ut, qui tum non erant in usu, neque necessarii,) (d) manumissi essent, & in genere qui non manumissi essent censu vel vindicta vel testamento, non fierent cives Romani, sed acciperent saltem jura latinorum, unde dicebantur latini Juniani. (e)

Porro Tiberius, lata lege Junia Norbana, introduxit latinos Junianos.

§. XXV.

Erant equidem Latini socii & foederati Romanorum, sed civitatis tamen jus non habebant. (f) Pari modo

Jura latinorum Junianorum.

Cajus tit. 2. §. 4. ibique Oise-  
lius p. 43. confer supra §. 16.

(d) Vid. jam supra dicta ib. XI. lit. m. Inter dissentientes est etiam Antonius Augustinus de LL. & SCtis ad legem Juniam Norbanam p. 93. Quasi sc. Justinianus in d. l. un. de lat. libert. toll. referat modos, quibus antea latini constituti fuerint, eoque etiam refert Augustinus circumstantiam quinque testium. Sed uti totus contextus d. l. un. potius innuit, circumstantiam quin-

que testium a Justiniano pri-  
finis illis modis esse additam,  
ita de quinque testibus alii  
scriptores veteres nihil ha-  
bent. Nec obstat Martialis  
Epigramma ss. lib. 9. quod vi-  
detur seduxisse Loonium.  
Nam Poëta mentionem qui-  
dem signationis testium facit,  
sed de numero quinario nihil  
habet.

(e) Antonius Augustinus d. l.

(f) Ut ex Livio, Dionysio  
Halicarnasseo, Dione Cassio  
&c. nullum est dubium.

modo latini Juniani erant quidem liberi homines, sed pariter ut dedititii non erant cives Romani. (g) Poterant tamen latini Juniani ad civitatem aspirare variis modis, puta, beneficio principali, liberis, iteratione manumissionis, militia, nave, ædificio, pistrino, præterea ex Scto, veluti, quæ sit tenerenixa. (h)

## §. XXVI.

*Differentia inter natalium restitutionem & jus aureorum annulorum.*

Ad beneficium, Principis pertinent etiam natalium restitutio, & jus aureorum annulorum, quamvis natalium restitutio plenior sit quam jus aureorum annulorum. Natalibus enim restituti a Principe per omnia & in omnibus ingenui erant, nec juri patronatus amplius obnoxii, unde Principes non facile solebant quenquam natalibus restituere, nisi consentiente patrono. At qui saltem jus aureorum annulorum impetraverant, accipiebant quidem jura ingenuorum, sed salvo jure patronatus. (i)

## §. XXVII.

*Historia juris aureorum annulorum.*

Quod aureos annulos attinet ita quidem Isidorus: *Annulum aureum neque servus neque libertinus gestabat in publico, sed annulo aureo liberi utebantur, libertini argenteo, servi ferreo. Error varius & multiplex.* (k) Soli

(g) Repete dicta §. XXIII.

(h) Hos modos latius exponit fragmentum Ulpiani *iii. 3.* ad quod confer etiam notas Cujacii & notas Dionysii Gothofredi.

(i) *l. t. ff. & C. de natalibus re-*

*stituendis, & de jure aureorum annulorum.* Ant. Peretz. *ad d. t. Cod. de jure aur. annul.* Matth. Steph. *ad N. 78.*

(k) (1) Quod omnes liberi gestaverint aureos annulos, (2) quod libertini argenteo, (3) quod

Soli Senatores olim & Equites, nec omnes aureos annulos gestabant, successu temporis, crescente luxu, aurei annuli initio cum plebe, tum & cum liberis communicati. Ferreis utebantur omnes. Argentei nusquam memorantur ab antiquis scriptoribus, nisi unico casu speciali. (1)

§. XXXIX.

Conveniebant igitur liberti latini & dedititii, quod *Libertorum, dedititio-* liberti utriusque classis non essent cives Romani, & quae *rum & Lat-* tales, neque testamentum facere, neque aliquid ex te- *norum com-* stamento capere poterant, sed utriusque succedebat pa- *paratio.* tronus. Differebant, quod melior esset latinorum conditio, ob spem adipiscendae civitatis, & quod intuitu hujus spei haeredes institui possent, quodque tanquam peregrini

(3) quod servi quasi soli ferreo usi fuerint. Ut patebit ex statim dicendis.

(1) Ex Plinio *nat. histor. lib. 33. c. 7.* doctrinam de usu aureorum annulorum in ordinem redegit Lipsius *Elect. lib. 2. c. 8.* & fustius Johannes Kirchmann *de annulis c. 15. 16.* Summa eo redit. Annulorum ferreorum usus apud Romanos erat antiquissimus. Sed aureos annulos primis Reip. temporibus ne Senatori quidem licebat gestare, sed saltem legatis ad exteras Gentes, qui tamen legatio-

ne peracta, iis in publico saltem utebantur, intra domos ferreis, quibus etiam subsequentibus temporibus triumphantes & adhuc Augusti tempore Senatores usi. Postea Senatoribus non plebejis jus aureorum annulorum fuit. Sequenti tempore etiam Equitibus & Tribunis, & quidem Equitibus, qui censum equestrem habebant: Quo immunito etiam annulum deponebant, quod & in cessione bonorum fieri solebat. Argenteos quod libertini gestaverint nemo

regrini commercii jus haberent in rebus mancipi, cum dedititii ne quidem ut peregrini considerarentur. (m)

## §. XXIX.

nemo antiquorum meminit. (Neque etiam quod Plebeji, ut quidem vult Kirchmannus *d. c. 15. p. 152.* Nam Plinius *lib. 37. c. 12.* de argenteis compedibus plebejorum loquens non intelligit annulos, sed vel calceos, ut vult Dalechampius, vel aliud quoddam ornamentum pedum. Istum vero casum tanquam specialem *ibidem* notat Plinius, quod Nobilis quispiam ordine motus argenteos annulos gestaverit, quod miror prætervidisse Kirchmannum. Sed absolvamus excerpta ex eodem.) Ferreos tantum annulos gestabant initio servi, magis ad usum signationis quam ad ornatum. Successu temporis etiam ex plebe aliqui aureis annulis donabantur a Magistratibus, ultimis potissimum temporibus liberæ Reip. Augustus quibusdam libertis id jus indulgebat, eosque in Equestrem ordinem adscribebat. Tiberius constituit, ne cui jus aureorum annulorum esset nisi

cui ingenuo ipsi, patri avoque paterno festerna 400 census fuisset, & lege Julia theatrali jus in 14. ordinibus sedendi. (conf. Anton. August. *ad b. l. p. 85.*) Sed constitutio illa non diu duravit, cum statim sub Claudio, Galba, Vitellio, Domitiano & sequentibus Imperatoribus liberti, etiam nequam, annulis aureis donarentur a Principibus, qui tamen id aliquando concedebant cum patronorum consensu. Unde Commodus jus aureorum annulorum ademit, qui invitis aut ignorantibus patronis id acceperant.

(m) Ulpianus *tit. 19. §. 20. Olfelius ad Caj. lib. 1. tit. 2. p. 30. seqq.* Sunt, qui differentiam inter Latinos & dedititios libertos sic voluerunt exponere. Latinos vixisse ut liberos, mortuos esse, ut servos. Dedititios vixisse ut servos, mortuos esse ut liberos. Obscurissime & falso. Prius membrum debetur quidem Justiniano §. *ult. de success. liberi.* Sed quoad phrasin saltem

§. XXIX.

Porro & subsequentes Principes studio purgandi civitatem ab indignis civibus, nonnunquam constitutiones has Augusti & Tiberii extenderunt. Quo pertinet edictum Trajani, ut libertus, qui invito patrono beneficio Principis jus Quiritium impetrasset, moreretur tanquam latinus. (n)

*Etiā secundo Seculo constitutiones illæ de libertinis in usum revocata.*

§. XXX.

Justinianus vero non solum latinam & dedititiam libertatem duabus constitutionibus sustulit, & quemcunque servum, quocunque modo (sed, ut jam supra diximus, adhibitis quinque testibus) manumissum, voluit esse civem Romanum, sed & postea peculiari Novella omnem distinctionem inter ingenuos & libertinos sustulit (salvo tamen jure patronatus) omnibusque libertis ipso jure jus aureorum annulorum & natalium restitutionem indulgit. (o)

*Justinianus tollit differentiam inter ingenuos & liberos, salvo jure patronatus.*

C 2

§. XXXI.

tem, neque enim Justinianus voluit solos latinos vixisse ut liberos, mortuos esse ut servos, sed idem de dedititiis etiam verum est, intuitu sc. successionis patronorum. Ergo falsum est, dedititios vixisse ut servos, mortuos ut liberos. Neque intellectum habet hæc phrasis ultima, nisi in iis, qui in morbo extremo manumittebantur a domino: Cujus exemplum

habet Martialis lib. 1. Epigr. 103. Adde Loon. p. 173. §. 7.

(n) Wissenb. ad l. un. Cod. de lat. libert. toll. p. 26. §. ult. in §. de success. libertorum. De constitutione Commodi repetere modo dicta lit. l. in fine.

(o) §. ult. in §. hic. l. un. C. de dedit. libert. toll. l. un. C. de lat. libert. toll. ibique Wissenb. N. 78. ibique Stephani.

## §. XXXI.

An pruden-  
ter? Fra-  
gmenta ju-  
ris veteris in  
Pandectis.

Licentius hoc fecisse Justinianum quam honestius, non immerito judicat Wissenbachius. (p) Tribonianum vero multa fragmenta juris veteris a Justiniano abrogati in Pandectis retinuisse, notat eaque recenset Franciscus Balduinus. (q)

## §. XXXII.

Excusatio  
Justiniani.

Excusare tamen forte poterit Justinianum communis corruptio suorum temporum, & quod antiquæ constitutiones de dedititiis & latinis libertis ejus tempore fere deserint esse in usu, imo, quod distinctio jurium inter ingenuos & libertinos magis quadrare videatur ad statum Reipublicæ Aristocraticum quam ad Monarchicum. (r)

## §. XXXIII.

(p) *Ad tit. Cod. de jure aur. ann. p. 360.*

(q) *In Justiniano lib. 3. p. 276. seq. sc. huc pertinent potissimum l. 46. de manum. testam. l. 15. §. 5. de statu lib. l. 29. §. 1. sum. hercib. l. 29. de reb. dub. l. 216. de V. S. l. 43. de fideic. liberr.*

(r) *§. ult. h. 1.* Vides: statim sub Servio Tullio nulla fuit differentia jurium inter ingenuos & libertinos. At sub libera Republica (quæ tamen magis nomine talis erat, re ipsa Aristocratia aut certe Aristocratia propior) multæ differentia & prærogativa erant in-

genorum præ libertinis. Sub novis Monarchiæ initiis statim sub Augusto & Tiberio confusio differentiarum illarum oriebatur, ita ut opus esset lege Ælia Sentia & Junia Norbana, quas haud dubie Augustus & Tiberius tulerunt dicis gratia, & quia nolebant videri, quod Monarchice imperarent, probe gnari, quod illæ leges non diu effectum habituræ essent. Etenim statim sub Claudio Senatus Palanti, Claudii liberti, prætoria ornamenta decrevit, ipsumque censuit, non exhortandum mo-  
do,

§. XXXIII.

Sed, si jam desit illa differentia, si jam tempore Antonini Imperatoris, qui omnibus in imperio Romano dedit jus civium Romanorum, (s) differentia inter ingenuos & libertinos sublata est; certe falsum est, quod Justinianus demum eam sustulerit, adeoque opera ejus frustranea est. Imo vero illa differentia non plane desit, sed reliquæ ejus hinc inde remanserunt. Et Antonius Imperator saltem ingenuis jus civitatis Romanæ dedit, non libertinis. (t)

An primus differentiam illam sustulerit.

C 3

CAP. II.

do, verum etiam compellendum ad usum aureorum annulorum Plinius l. 8. Epist. 5. Icellus quoque Galbæ libertus annulis aureis & Marciani cognomine donatus. Tacit. l. 1. hist. Sueton. in Galba c. 14. Vitellius Imperator libertum suum Asiaticum, scædum mancipium & malis artibus ambitiosum, primo Imperii die aureis donavit annulis super cœnam, cum mane rogantibus pro eocun&is, detestatus esset severissime talem equestris ordinis maculam. Sueton. in Vitell. cap. 12 Tacit. lib. 2. histor. Ejusdem Vitellii frater Lucius servum Verginii Capitonis annulis donavit, in quibus etiam hic

aliquanto post patibulo affixus est. Tacit. l. 4. hist. Sic Domitianus servum Hetruscum aureo annulo donatum inter Equites retulit. Statius lib. 3. Sylv. Pariter & Opilius Macrinus libertinus homo aureis annulis donatus, ipsum imperium Romanum occiso Bassiano Caracalla ad se rapuit. Jul. Capitol. in Macrino. Kirchn. de ann. c. 16. p. 165. seq. Adde Marcial. l. 5. Epigr. 8. 13. 14.

(s) l. 17. ff. de statu hom.

(t) Spanheim. de orbe Rom. Exerc. cap. 5. Scilicet Romana civitas per gradus extraneis concessa, primum in Italia municipiis, dein toti Latio, Mox universæ Italiæ: porro aliquot

extra

extra Italiam vel privatis, vel oppidis, vel Provinciis: Exinde nobiliffimarum in orbe Romano urbium primoribus, aut li-	mitaneis militibus; tum omnibus in orbe Romano ingenuis; tandem omnibus libertis. Idem <i>ibid</i> p. 227.
--	--

## CAPUT II.

Ufus practicus juris Romani in foris  
Germania.

## SUMMARIA.

*Quid in diftinctione praefenti fit juris Gentium, quid juris Civilis. §. 1. Quae juris Gentium sunt apud Germanos etiam fuere & sunt in ufu. §. 2. Quae juris Civilis Romani, ea nullum apud Germanos habent ufum practicum. §. 3. Etiamfi hodie post receptum jus Iuftinianicum in quibusdam circumftantiis fimilitudinem habeant cum jure Romano. §. 4. Fontes dicendorum de differentia inter ingenuos & libertinos. §. 5. Libertorum ftatus apud Germ. tempore Taciti. §. 6. Diverfus ab eo, qui fuit poftea fub Francis. §. 7. Manumiffionis Germanorum fub Francis Regibus. §. 8. Secundum legem Sali- cam. §. 9. Secundum legem Romanam. §. 10. Me- diante Epiftola. §. 11. Manumiffiones vel gratuita vel non. §. 12. Ingenuitas manumifforum qualis §. 13. Scil. Denarialium. §. 14. Manfoarii qui. §. 15. Re- fervatio operarum. §. 16. Tum chartulariorum, manu- mifforum a Laicis. §. 17. (Primi cives ex libertis. §. 18. Onera libertorum. §. 19.) Denique a Clero. §. 20. Clerus rariffime manumittebat. §. 21. Liberti & fervi Eccle.*



Ecclesiastici durioris conditionis quam Laici. §. 22. Confusio communis doctrinae de libertis Germanorum. Transitus ad ingenuos. §. 23. Speculi Svec. sententia de triplici ingenuitate valde dubia. §. 24. Ingenuitas summa. §. 25. Et infima. §. 26. Media ingenuitas duplex. §. 27. Una Nobilium ministerialium & priorum. §. 28. Altera libertorum in urbes translatorum. §. 29. Usus distinctionis ingenuitatis variae. §. 30. Confusio illius partim Clero. §. 31. Partim abusui regalis nobilitandi adscribenda. §. 32. Origo emulationis inter Nobiles & urbicos &c. §. 33. Manumissiones & hodie in usu. §. 34. Earum effectus. §. 35. Antiqui duo modi manumittendi Germanici non sunt in usu. §. 36. Modus in Ecclesia vix quadrat cum jure Principum Protestantium. §. 37. Modus spurius manumissionis per baptismum. §. 38. Frequentior modus hodie per Epistolam. §. 39. Ubi tamen non sunt necessarii quinque testes. §. 40. Domitiana quaestio de manu. per vindictam. §. 41. Explicatur privilegium Academiae Obiloniensis. §. 42. Interim vindicta manumittere hodie non prohibetur, sed ridiculum. §. 43. Usus spurius Latinorum & dedititorum. §. 44. Item constitutionum de latin. & deditit. liberr. roll. §. 45. Ingenuitas an ex patre an ex matre aestimetur. §. ult.

§. I.

**Q**uemadmodum distinctio inter homines liberos & servos juris Gentium est, ita pariter distinctio inter ingenuos & libertinos apud omnes Gentes fuit in usu hactenus, ut manumissiones servorum, Quid in distinctione presenti juris Gentium, quid juris Civilis.

vorum, quæ sunt juris Gentium, fecerint differentiam aliquam inter manumissos & reliquos liberos homines: At quod modos & solennitates manumittendi attinet, idem non spectat prælationem & eminentiam ingenuorum præ manumissis; quod varios gradus ingenuitatis aut libertivitatis concernit, singulæ fere Gentes in his capitibus suos habuerunt mores & leges peculiare, ut adeo eadem capita non sint referenda ad jus Gentium, sed ad jus Civile singulorum populorum.

## §. II.

*Quæ juris  
Gentium  
sunt, apud  
Germanos  
etiam fuerunt,  
& sunt in  
usu.*

His suppositis facile judicari potest, quod, quia apud Germanos distinctio inter liberos & servos in usu semper fuit, manumissiones etiam ipsis non poterint esse incognitæ, (a) sed etiam simul in usu & fuerint, & sint hodiernum, ac adeo non possit non aliqua juris differentia fuisse & esse inter ingenuos & liberos etiam apud Germanos.

## §. III.

*Quæ juris ci-  
vilis Roma-  
ni, ea nul-  
lum apud  
Germanos  
habent usum  
practicum.*

Quæ vero jus Romanum de modis manumitten-  
di, de

(a) Nam manumissio & servitus se invicem præsupponunt, & relationem habent ut causa & effectus, aut certe ut antecedens & consequens. Ubi servitus est recepta, regulariter sequuntur manumissiones. Et manumissio cum sit servorum, præsupponit eadem certe existentiam servitutis. Unde parum coheret doctrina communis, quod servitus apud Germanos sit sublata, & tamen in usu sit manumissio adhuc hodie, ubi dantur homines proprii. Conf. Dr. Hoppe ad §. 1. inst. de libert. in usu hodierno.

di, de statu ingenuorum & libertinorum disposuit, ea quatenus jus Civile stricte dictum Romanorum continent, apud Germanos non habent usum in praxi, partim, quia Germani manumissiones in usu habuerunt, & differentia fuere jura libertinorum & ingenuorum apud eos, diu antequam jus Justinianum extitit, aut post multa secula receptum in Germania fuit, partim quia quemadmodum mores Romanorum alias a moribus Germanorum fuere plane diversi, ita etiam intuitu manumissionis, & differentia inter libertinos & ingenuos & olim & hodie magna fuit diversitas.

§. IV.

Etsi vero hodie, postquam jus Romanum in Germania, ut jus subsidiarium publicis Imperii legibus fuit receptum, (b) intuitu manumissionis aut differentia inter ingenuos & libertos in uno & altero tertio comparatio possit institui; tamen ista comparatio sola pro usu pratico juris Justiniani haberi nequit, non magis, ac si quis comparationem inter ingenuos, libertos, & servos Germanorum & Turcarum velit instituere, ac inde usum practicum juris Turcici probare. (c)

*Etiamsi hodie post receptum jus Justinianum in quibusdam circumstantiis similitudinem habeans cum jure Romao.*

§. V. Quæ

(b) B. Strykius *dissert. prelimin. de usu modern. Pandect. §. 28.*  
(c) Quod si urgeas, in eo tamen esse differentiam, quod jus Turcicum non sit receptum. *Respondebo*, receptum esse

non ut ordinarium, sed subsidiarium. Subsidiarium autem esse non potest intuitu eorum, quæ Germani observarunt jam ante receptionem, & continuerunt post eam. Jus enim subsidiarium

D

## §. V.

Fontes di-  
cendorum de  
differentia  
inter inge-  
nuos & liber-  
tinos.

Quæ igitur dicenda restant de usu pratico distia-  
tionis inter ingenuos & libertinos, nequaquam petenda  
sunt ex legibus Romanis, sed ex moribus & legibus Ger-  
maniae, eorumque origo non ex antiquitatibus Roma-  
nis, sed Germanicis derivanda. Nos saltem recensebi-  
mus potissima, & quasi per indicem. (d)

## §. VI.

Libertorum  
status apud  
Germanos  
tempore Ta-  
citi.

Igitur Germanos quod attinet, jam tempore Taciti  
liberti non multum supra servos erant, raro aliquod mo-  
mentum in domo, nunquam in civitate iis conferebatur,  
exceptis duntaxat iis Gentibus, quæ regnabantur. Ibi  
enim & super ingenuos & super nobiles ascendebant:  
Apud ceteros vero impares libertini libertatis potius ar-  
gumentum, quam vere liberi erant. (e)

## §. VII.

Diversus ab  
eo qui fuit  
postea sub  
Francis.

Unde non mirandum, quod subsequenter tem-  
poribus apud populos Germaniæ qui regnabantur; exigua  
esset

diarium est, quod obtinet de-  
ficiente jure ordinario, non  
quod convenit cum jure ordi-  
nario.

(d) Plura suppediabit Pot-  
giesserus de conditione & statu  
servorum apud Germanos integro  
lib. 3. cujus industria & hic com-  
mendationem meretur. Adde  
& alios auctores in sequentibus  
paragraphis passim citandos.

(e) Tacitus de morib. Ger-  
man. XXV. 4. 5. ubi per eos qui  
regnantur Tacitus non intelle-  
xit Romanos, ut eum videtur  
intellexisse Potgiesserus d. l. 3.  
cap. 20. §. 2. sed Germanorum  
populos, qui sub Regibus  
erant. Quanquam eadem apud  
utrosque sit ratio, per dicta su-  
perius cap. 1. §. 32. in nota, cui  
illustrandæ inservient & alia  
exem-

esset differentia inter ingenuitatem & libertinitatem, vel certe non tanta, ut olim tempore Taciti in populis liberis. (f)

§. IIX.

Modos manumittendi etiam habuerunt Germani sibi proprios, & a manumissionibus Romanorum differentes. Tempore Julii Cæsaris & Taciti quibus ritibus manumiserint servos suos, non constat. At tempore Regum Francorum, (g) postquam hi Christianismum professi sunt, manumittebantur servi vel se-

*Manumissiones Germanorum sub Francis Regibus.*

D 2 cun-

exempla a Potgiessero ex historia Romana ibidem allata.

(f) Ob rationem allatam in d. §. 32. cap. 1. Hinc & apud Francos manumissiones dicebantur ingenuitates. Fortasse inquit Hier. Bignonius in notis ad Marculf. apud Baluzium in Capitul. Regum Francia Tom. 2. p. 945. quod libertinitatis ab ingenuitate discrimina ab usu recessissent, & ad solam manumittentis voluntatem attenderetur, qui pro arbitrio libertis leges dicebat, ut non paucis possit probare exemplis. Et mox p. 946. Quid miror, nam jura ingenuitatis a Principe more Romano impetranda erant. Nisi dixeris, barbaris undique Gallias occupantibus hunc modum ab usu

recessisse. Ex quo factum, ut id omne ex dominorum arbitrio & beneficio penderet. Et inde paulatim manumissio ingenuitas dicta. Nec vero ad Novellam Justiniani, quis referat, per quam ingenuitatis jura omnibus libertis dedit, cum satis constet, jus Justinianum tunc Gallis ignotum fuisse. His verbis ultimis illustrantur a nobis dicta §. 3. & 4. Cæterum cum hac Bignonii observatione jungenda tamen erunt, quæ infra suo loco monebimus, de variis gradibus ingenuitatis apud Germanos.

(g) Apud Longobardos & Anglos fuerunt etiam alii modi manumissionum recepti per quartam manum, per sagittam, per

cundum legem Salicam, vel secundum legem Romanam.

## §. IX.

*Secundum  
legem Sali-  
sam.*

Secundum legem Salicam ante Regem jactato denario, vel excusso nummo de manu ipsius servi, unde appellabantur postea denariales. (h)

## §. X.

*Secundum  
legem Ro-  
manam.*

Secundum legem Romanam, quando quis in Ecclesia traditis tabulis coram Clero & plebe rogabat servum suum manumitti, jussu Episcopi Archidiaconus tabulas manumissionis scribebat, quæ tabulæ quandoque capiti servi imponebantur. Tales dicebantur chartularii & tabularii. (i)

## §. XI.

*Mediante  
Epistola.*

Addit quidem Bignonius (k) tertium modum, per Epistolam privatam, formulis nonnullis Marculfianis motus,

per traditionem armorum &c. videatur Dufresnius *voce manumisso* f. 421. & quæ integris capitibus de his modis adnotavit Potgiesserus *d. lib. 3.* Nos de illis ideo non agimus, quod in specie solliciti sumus de moribus Germaniæ, non de moribus populorum a Germanis ortorum. Adde, quod Longobardi in Italia miscuerint haud dubie mores patrios cum moribus Romanorum.

(h) Paulus Hachenbergius *Germaniæ mediæ dissert. 2. §. 24.* Paulus Voëtius *ad inst. de libertinis* p. 123.

(i) Voëtius *d. l. lex Ripuar. tit. 60. §. 1.* Dufresnius *voce manumisso* p. m. 418. *seq.* Per legem Romanam vero hic non intelligitur jus Justinianæum, sed Codex Theodosianus. Vid. *Conring. de O. F. G. c. 20. p. 109.*

(k) Bignonius *ad formul. Marculphi Tom. II. Capit. Baluzii* fol.

motus, sed videtur hic modus a manumissione in Ecclesia facta non esse separandus. Antequam enim servus jussu Episcopi manumitteretur, ejusmodi epistola dominus manumittens voluntatem suam declarabat. (1)

§. XII.

Fiebant vero manumissiones a dominis vel gratis pro remedio animæ, & pro æterna retributione, vel ac-  
cepto pretio. (m)

*Manumissiones vel gratuita vel non*

§. XIII.

Etsi vero in formulis tam denarialium, quam chartulariorum libertorum ingenuitatis fieret mentio, rarissime tamen plenam ingenuitatem accipiebant ejusmodi manumissi.

*Ingenuitas manumissorum qualis.*

§. XIV.

Qui enim secundum legem Salicam manumittebant Laici, (nam Clerici non nisi in Ecclesia manumis-  
sentur, (n)) per formulam accipiebant ingenuitatem, ut reliqui mansoarii. (o)

*Scil. denarialium.*

D 3

§. XV.

*fol. 904. 945.* Cum Bignonio sentit etiam Potgiesserus lib. 3. cap. 9.

& ibi Bignonius f. 966. Capitulum. l. 5. c. 207. apud Lindembrogium p. 963.

(1) Per d. tit. 60. leg. Ripuar.  
(m) Form. Marculfi apud Baluz. f. 423. c. 32. 33. 34. Conf. disert. Dn. Præsid. de jure dandi civitatem. Pretiam in pecunia dabat servus de reculis sciente domino, Marculf. append. c. 48.

(n) d. tit. 60. leg. Ripuar. §. 1. verbis; Secundum legem Romanam qua Ecclesia vivit.

(o) Marculfus l. 1. form. 22. Baluz. f. 387.

## §. XV.

(Manfoarii  
qui)

Constat autem quod manfoarii tenerentur domino vel Regi de manso, id est fundo suo singulis annis censum dare, (p) unde bona censitica, quæ communiter a juris Romani Professoribus confunduntur cum fundis emphyteuticis.

## §. XVI.

(Reservatio  
operarum.)

Quin & verosimile est, dominos manumittentis quandoque a talibus libertis operas rusticas vel alias sibi reservasse.

## §. XVII.

Tum cbaru-  
lariorum  
manumisso-  
rum a Laicis.

Qui in Ecclesia manumittebant, si Laici essent, modo liberam, apertis portis, potestatem abeundi, quo vellent, manumissis concedebant in tabulis manumissionis (q) (unde passeports (r):) modo omnia bona simul transerebant, & potestatem testamenta condendi concedebant, (s) modo operas sibi reservabant ad dies vitæ, (t) modo alias condiciones vel modos apponebant, v. g. ut annis singulis in Ecclesia, ubi corpus domini manumittentis quiesceret, luminaria procurarent. (u)

## §. XIX,

(p) Bignonius *ibid.* f. 906.(q) Form. apud Lindenbrog.  
*cap. 96. 101.*(r) Hertius *de literis commea-  
tus* §. 2.(s) *Append. ad form. Marculfi  
form. 13. ap. Baluz. f. 440.* Quæ  
vero de potestate testandi hicdicuntur, pertinent ad Gallos  
tantum. Nam in Germania  
testamenti factio tum non erat  
recepta.(t) Marculf. *lib. 2. cap. 33.  
fol. 424. ap. Baluz.*(u) Marculf. *ibid. cap. 34.*



§. XIII.

Qui liberam abeundi potestatem accipiebant, illi (*Primitives* plerumque ab Episcopis, ut verosimile est, (w) adhibiti *ex libertis.* fuerunt ad fundandas in Germania urbes.

§. XIX.

Et regulariter tam denariales quam chartularii non antea hæreditatem acquirere poterant, quam si usque ad tertiam generationem pervenissent. (x) Non admittebantur etiam testimonia libertorum contra ingenuos. Imo & liberi eorum demum post tertiam generationem admittebantur. (y)

§. XX.

Qui vero a Clericis manumittebantur, siquidem eum in finem ut sacerdotium assumerent, plenissimam accipiebant libertatem, & cives Romani vocabantur, sed in speciem saltem, quia id fiebat sub conditione, ut fervirent Deo in Ecclesia, & bona sua Ecclesiæ acquirerent. (z)

§. XXI.

Extra hanc causam Clerici, qui tantum ad accipiendum, non ad dandum erat adfuetus, vere nullos servos manumittebat, imo si maxime manumisisset Episcopus quos-

(w) Per dicta a Dn. Præfide  
differt. de jure dandi civitatem.  
(x) Bignon. ad Marculf. Tom.  
II. Baluz. f. 902.  
(y) Lib. 6. capitul. 352. ap. Ba-  
luz. Tom. 1. f. 983.

(z) Appendix Marculf. cap. 8.  
ap. Baluz. Tom. 2. fol. 440. ver-  
bis: Sicut ab humana servitute li-  
beratus, ita per divinam doceas &c.  
Conf. Bignon. in notis f. 956.  
seq.

quosdam ex familia Ecclesiæ, dicebatur id in condemnationem animæ suæ fecisse, & successor eos revocabat. (a)

## §. XXII.

*Liberti  
seu vi Ecclē-  
stastici duri-  
oris condi-  
tionis quam  
Laici.*

Quod si maxime manumissiones a Clero fierent, id tamen magis dicitur gratia fiebat, & jam ab aliis observatum fuit, non solum fervorum Ecclesiasticorum conditionem longe duriores fuisse, quam Laicorum, sed & libertorum, ut qui fere nomine saltem differebant a servis. (b)

## §. XXIII.

*Confusio  
communis  
doctrina de  
libertis Ger-  
manorum.  
Transitus ad  
ingenuos.*

Tentavimus doctrinam de manumissionibus & libertis Germaniæ mediæ confuse tractatam, utcumque in ordinem redigere, (c) etsi facile veniam speremus, si alicubi

(a) Capit. Ludovici. II. cap. 15. apud Baluz. Tom. 2. f. 366.

(b) Vid. Dn. Præses de jure dande civitatis §. 19. 20. Add can. Diaconi 35. can. liberti 61. can. de libertis 63. can. liberti 65. C. 12. qu. 2. Hertium de hominibus propriis Sect. 1. th. 7. in fine. quamvis nomina diversa libertorum, ut putat Ecclesiasticorum, scilicet Liti, Servitores, Saxones, Salvi, Coloni, Tributarii magis videantur denotare varia fervorum genera.

(c) Quid in Pauli Hachen-

bergii Germania media in genere desideret Dn. Præses. indicavit in *differt. de orig. feudilibus* §. 7. lit. c. Sic v. g. in *differt.* 2. §. 24. & 25. graviter errat, dum ex lege Ripuaria tit. 60. §. 1. probare vult, acsi manumissio dato pretio sit eadem cum manumissione secundum legem Romanam. Nam in verbis legis: *Qualiscunque Francus servum suum pro anima sua remedio seu pretio secundum legem Romanam liberare voluerit*, pretium non denotat pecuniam aut res pecu-

alicubi forte erraverimus. (d) Nunc etiam de ingenuitate Germanica dicendi tempus erit.

§. XXIV.

Si tuto sequi possemus tradita a collectore speculi Svecici, res foret expedita. Is enim triplicem dicit fuisse libertatem seu ingenuitatem, maximam Principum, mediam vasalorum principalium, minimam libertorum. (e) Sed huic quidem auctori fidere non possumus (f)

*Speculi Svecici sententia de triplici ingenuitate valde dubia.*

§. XXV.

pecunia æstimabiles, sed *pre-tium anime.* Conf. Potgiesserum *lib. 3. cap. 14. §. 15. & supra §. 12.* Sed & in iis, quæ Dufresnius, Bignonius, Hertius, Potgiesserus collegerant, multa alium ordinem & secundas curas postulant, ut ex hæcenus dictis & dicendis patet.

(d) Quia non habuimus, qui in hac confusione ordinanda nobis præverit, quem tuto se qui potuissemus. Idem etiam monemus circa ea, quæ jam dicemus de gradibus ingenuitatis. Nam & hic omnia dubia vel confusa deprehendimus.

(e) Landrecht cap. 47. Die soll man merken dreyerley freye Leute. Es heissent eins Semper-Freyen, das sind die freyen Herr-

ren als Fürsten, und die andre Freyen zu Mann haben, das andre sind Mittelfreyen, das sind die, die der hohen Freyen Man sind. Das drit sind Bauern, die frey sind, die heissen freye Landsassen. Die hat jeglicher ihr sonder Recht.

(f) Nam (1) quæ dicit de *semper liberis* dubia sunt, si quis cum iis conferat, quæ Vadianus habet & Goldastus, qui putant, potius libertos dictos fuisse a maioribus nostris *Sempersey* ex formula manumissionis: *Semper ingenuus & securus existat.* Vide Potgiesser *cap. 20. §. 7.* Pro collectore vero Speculi videntur militare verba recessus Rudolphi I. ap. Lehman. *Chron. c. 108. in verbis p. 628.*

E

Mag

## §. XXV.

*Ingenuitas  
summa.*

Videtur tamen compilator magis errasse in explanatione & descriptione triplicis classis, quam in re ipsa. Scilicet summa ingenuitas videtur fuisse Principum ac Dominorum, qui regno quidem ministeria debebant, militaria potissimum, sed non aliis Principibus & Dominis. Hi ab eminentia dignitatis vel officii dicebantur Principes, Duces, Comites; si dignitate vel officio non gauderent, dicebantur Domini simpliciter. Herren, Edle, Edle Herren, Freye, Semperfreye (scilicet in strictiore significato) Freye Herren, Bander-Herren, ingenui

Mag ein jeglich Semperman, er sey Fürst, oder anders ein Hochman. Sed tamen adhuc dubium est, annon etiam liberi inferioris ordinis dicti sint Semperfrey, ob verba antecedentia: Bezeiget ihr, daß sein Vater vor seinen Nichten mit zweyen Sempermannen. *ic.* Ubi contextus ostendit, ibi per Sempermannen non intelligi Principes & alios altioris conditionis ingenuos, aut certe hos non præcise intelligi. Non tamen credo unquam libertos in specie fuisse dictos Semperfrey. Præjudicium Vadiani & Goldast. in eo consistit, quod putaverint, semperfrey esse vocem se-

milatinam, cum potius verosimiliter tota sit Germanica, idem significans ac Gendbarfrey. Vid. Illustr. Coccejum *Juris publ. prud. cap. 15. §. 33.* Schilter. *ad jus Feud. Alem. cap. 1. §. 19.* Priori etiam suspecta videtur doctrina Speculi Svecici *ibid. §. 34. in fine.* Nam quæ porro addit von Landsassen, æque falsum. Non enim credo rusticos, etiam manumissos, dici Freye Landsassen, sed potius ita vocari Nobiles ministeriales. Spec. Sax. *lib. 3. art. 80. §. 2.* ut & hodiernum hæc vox prædicatur de Nobilibus, ita ut vox Landsassen sit nomen generis, species sint Schriftsassen & Amtesassen

nui (scilicet in eminentiori gradu) Barones, liberi Barones &c, (g)

§. XXVI.

Infima ingenuitas erat libertorum seu rusticorum *Et infima.* & famulorum manumissorum, uti haecenus vidimus, qui scilicet etiam post manumissionem, parum a servis vel hominibus propriis differebant, ac communi nomine Lassi seu Lazzi, item Frilazzi vocabantur. Inter quos

E 2

adeo

sassen, de quibus vide late Casp. Ziegl. Senior. *ad Calvoli praxin auream.* Omisit etiam cives urbicos die Bürger, qui haud dubie liberi & ingenui sunt, sed tamen ad nullam classem Speculatoris referri possunt.

(g) De singulis his titulis plura exempla & testimonia B. Strykius *de jure Baronum cap. 2. n. 56. seq.* ubi etiam recte dissentit *n. 78. seq.* ab opinione Petri de Andlo, quasi quoad jura aut rem ipsam duo sint genera Baronum, unum simpliciter talium, alterum semper Baronum, item ab opinione Rutgeri Rulandi, tria genera constituentis, unum semper liberorum, alterum liberorum

Baronum der Freyherren, tertium simpliciter Baronum, der Herren; simul ostendens in effectu nullos horum titulorum tribuere pinguius jus, sed usu Imperii omnes æquali jure gaudere. De *ingenuorum* tamen titulo in specie nihil ibi aut communiter apud alios DD. deprehendi annotatum. Apud Wolfgangium Lazium vero de migrationibus Gentium *libro 6. 7. 8.* ubi Genealogiæ Baronum post Comites recensentur, deprehendes titulum ingenuorum frequenter & promiscue cum titulo liberorum, Dominorum, Nobilium, Equitum Nobilium, de Baronibus usurpari.

adeo & ingenuos eminentes maxime palpabilis ratione  
jurium erat differentia. (h)

## §. XXVII.

*Media inge-  
nuitas du-  
plex.*

Inter hæc duo ingenuitatis extrema satis sensibilia  
erat media ingenuitas, eaque duplex, una Nobilium pro-  
priorum *Edler Knechte*, altera libertorum, civium urbi-  
corum, quorum prior erat appendix ingenuitatis summæ,  
posterior extraordinaria quædam ac eminentior conditio  
ingenuitatis infimæ.

## §. XXIX.

*Una Nobili-  
um ministe-  
rialium &  
propriorum.*

Scilicet cum olim Domini rusticorum seu Nobiles  
in Republica libera omnes essent pari modo ingenui, po-  
stea sub regno Francico pariter omnes soli regno aut  
Regi ministeria præstabant ac subditi erant, & Ducibus  
quidem ac Comitibus tanquam Magistratibus parebant,  
non tamen eorum erant subditi; postea in turbis sæpius  
ex necessitate adigebantur, ut se in proprietatem & mi-  
nisteria traderent Principibus ac Ducibus, unde distinctio  
inter *Hohe freye Mann*, und *Mittelfreyen*, qui postero-  
res etiam dicti *Dienstmänner*, *Dienstleute*, *Edle Knechte*,  
*Eigen Manne*, *freye Landsassen*, Ministeriales, Nobiles  
Ministeriales, &c. (i)

## §. XXIX

(h) Vide Dn. Præsid. *de jure  
dandæ civitatis* §. 7. & 17. ubi do-  
cuit, Lassos non esse servos. De  
origine Lassorum, uti ordina-  
rie, ubi de origine rerum ac

jurium Germanorum agitur.  
fabulas refert Autor *Spec. Saxon.*  
*lib. 3. art. 44.*

(i) Late de his egit Hertius,  
*de homin. propriis integra Sect. 4.*  
ubi

§. XXIX.

Porro liberti regulariter in rure permanentes, aut *Altera liber-*  
etiam famulitium patronorum suorum continuantes, non *zorum in ur-*  
poterant non parum differre a servis rusticis. Cum ta- *bes transla-*  
men supra dixerimus, quosdam servos manumissos esse *torum.*  
portis apertis in Ecclesia, id factum fuisse verosimile est,  
eum in finem, ut vel fierent Clerici, vel ut in urbes &  
civitates abirent. Certe plebem primarum civitatum  
constituisse ex libertis ejusmodi nullum amplius est du-  
bium. (k)

§. XXX.

Potissima differentia ingenuitatis summæ & infimæ *Usus distin-*  
in eo videtur constitisse, quod olim liberti, etiam cives *ctonis inge-*  
urbici facti, non viderentur admissi ad dignitates & offi- *nuitatis va-*  
cia Ducum ac Comitum, & similia, ab his vero non ex- *ria.*  
cluderentur plane Nobiles ministeriales, quanquam ra-  
tius admitterentur.

§. XXXI.

Sed ista differentia postea non amplius exacte fuit *Confusio il-*  
observata. Causa fuit potissimum duplex. Nam initio *lius partim*  
liberti poterant fieri Clerici, Clerici vero omnium di- *Clero.*  
gnitatum, etiam principalium, participes reddebantur.  
Academiis ortis Doctores, Professores ac Studiosi Cle-  
ricis

E 3

ubi & de eorum differentia | Conf. Potgiesser *lib. 1. c. 2. §. 44.*  
a Nobilibus ingenuis & con- | (k) Conf. Dn. Præsid. *de*  
venientia cum hominibus pro- | *jure dand. civitatis §. 19, 20. item*  
priis ignobilibus seu rusticis. | *§. 30.*

ricis accensebantur, ac ex eadem ratione pariter ad dignitatem magistratalem & doctorem admittabantur liberti, id est etiam rusticorum, qui non amplius essent homines proprii, liberi

## §. XXXII.

*Partim ab-  
usui regalis  
nobilitandi  
adscribenda.*

Deinde cum omnino etiam ad Reges Germaniæ pertineret jus nobilitandi, seu liberto Germano ob merita & alias causas honestas jura ingenuitatis veræ Germanicæ concedendi, successu temporis insinuavit se in Germania abusus hodiernum durans, ut jura nobilitatis & ingenuitatis possent a quocunque pecunia emi.

## §. XXXIII.

*Origo amu-  
lationis in-  
ter Nobiles  
& urbi-  
cos. &c.*

Non potuit vero non hæc confusio odia exitare inter ingenuos & libertos, Nobiles & plebejos. Unde nec mirandum quod hodiernum in Germania maxime æmulatio regnet inter Nobiles, etiam ministeriales, & Doctores aut alios civici ordinis homines, quia scilicet primi cives liberti erant, ingenui vero Nobiles; item cur Nobiles in Germania abhorreant a mercatura, quia scilicet in urbibus primi liberti mercaturam exercuerunt. (1)

## §. XXXIV.

(1) *Vid. dict. dissert. de jure danda civitatis §. 30. 31. item dissert. Dn. Præsid. de homin. propriis §. 90. 91. 93. 94. Ubi plura deprehendes ad illustrationem* | *hactenus dictorum facientia. Adde de illa æmulatione locum ex Crantzii metropoli apud Potgiefferum l. 1. c. 2. §. 44.*



§. XXXIV.

Cæterum manumissiones quod attinet, eæ & hodie in locis, ubi sunt homines proprii, sunt in usu. Unde & Maximilianus Imperator noluit invito Domino servum manumittere, (m) & in recessibus Imperii sub Ferdinando I. constitutum, ut beneficium emigrandi concedi debeat gegen billigen Abtrag der Leibeigenschaft, & salvo jure Dominorum, an servos manumittere velint, nec ne. (n)

*Manumissiones & hodie in usu.*

§. XXXV.

Patet etiam ex formulis novioribus, quod manumissio etiam si plena sit, nihil aliud inferat, quam ut libertus possit abire, & urbium quarumcunque incola fieri. (o)

*Earum effectus.*

§. XXXVI.

(m) Mevius in Bedencken von Dauen p. 57. n. 36. ex Zaslo.

(n) Rec. Imp. de anno 1555.

§. 44.

(o) Vide formulam de anno

1607. ap. Hortlederum von Ur-

sachen des Teutschen Kriegs l. 4.

c. 48. n. 30. f. 1874. citatam ab

Hertio de homin. propr. Sect. 3.

§. 11. Der Servitut oder Leibeigenschaft in alle wege frey, ledig

und los, also daß sie mit ihren Leib,

Saach und Gut wohl andrer Orten

hinziehen, Schutz, Schirm,

Bürger, Stadt- und Landrecht suchen können. Sed erravit Hertius: Nam ista formula apud Hortlederum non est formula manumissionis eines Erlaß-Briefs, sed testimonii natiuitatis eines Geburts-Briefs. Propius ergo ad rem accedit formul altera de anno 1597. ap. Eybenium disquis. 2. ad instit. Obl. 12. Freyen Sie unsers Eigenthums dergestalt, daß sie nach freyer Leute Art wohnen und hausen mag in allen freyen Städten, Flecken

*Antiqui duo  
modi manu-  
mittendi  
Germanici  
non sunt in  
usu.*

## §. XXXVI.

Quamvis autem modi manumittendi antiqui per denarium coram Rege & in Ecclesia per chartam non sint lege ulla abrogati, in usu tamen esse desierunt.

## §. XXXVII.

*Modus in Ec-  
clesia vix  
quadrat cum  
jure Princi-  
pum prote-  
lantium.*

Et manumissio in Ecclesia apud Protestantes vix locum habere possit, quia Clerus Pontificius eo ipso, quo servi in Ecclesia manumittuntur jus protectionis in servos manumissos sibi vindicabat, in tantum, ut nec tabularius coram Rege possit fieri denarialis, videlicet, ne per hoc ex protectione Ecclesie transferretur ad protectionem Regis. (p)

## §. XXXIIX.

*Modus spu-  
rius manu-  
missionis,  
per bap-  
tismum.*

Quemadmodum porro nullo unquam jure receptum fuit, ut per professionem Christianismi quis a servitute liberetur; ita jam alibi refutata est eorum opinio, qui putant, quod hodie mancipium Turcicum liberetur a potestate Domini Christiani, si baptizetur. (q)

## §. XXXIX.

*Frequentior  
modus hodie  
per Episto-  
lam.*

Frequentior modus manumittendi hodie est per instru-

Flecken und Weichbilden, brau-  
chen und genießen aller freyer Leute  
Recht und Gerechtigkeit, wo ihr  
das best gelegen ist und eben  
kömmt zc.

(p) Vid. leg. Ripuar. tit. 58. §. 1.

Dufresn. voce manumissio f. m.  
420. Conf. Bignon. ad Marculf.  
form. Tom. 2. Baluz. fol. 945. seq.  
(q) Vid. Dn. Præsid. Dissert.  
Historico-Philosophico-Juridicus  
quæst. 8.

instrumentum manumissionis, den Erlaß-Brieff, Laß-Brieff, Loßlassung, Mannrecht. (r)

§. XL.

Et recte quidem asseritur, in hoc instrumento non necessarios esse ex constitutione Justiniani quinque testes, non tamen ex ea ratione, quasi jus Justinianum hac parte defierit esse in usu, sed quod idem in Germania nunquam fuerit receptum. (s)

*Ubi tamen non sunt, necessarii quinque testes.*

§. XLI.

Unde ridiculum esset, quærere, an manumissio per vindictam hodie apud Germanos sit in usu.

*Domitiana quaestio de manu. per vindictam.*

§. VLII.

Nec obstat privilegium Academiae Chiloniensis ab Imperatore Ferdinando III. anno 1652. confirmatum, in quo Academiae potestas concessa manumissionibus quibuscunque, cum, vel sine vindicta auctoritatem suam interponendi. (t) Vel enim illa verba cum vel sine vindicta extant in privilegio, vel ab interprete sunt adjecta, ad exponendum sensum manumissionis cujuscunque. (u) Priori casu docerent quidem, quod ille, qui privi-

*Explicatur privilegium Academiae Chiloniensis.*

(r) Hertius *Sect. 3. §. 11.* Conf. supra *ib. 35.* Quamvis dubium sit, an vox Mannrecht recte huc applicetur, per ea, quæ habet Wehnerus voce Mannrecht item Montmann.

(s) Conf. Dn. Hopp. *ad inst. h. t. sub. usu hodierno.*

(t) Vid. Dn. Hopp. *d. l.*

(u) Nam cum Dn. Hoppius verba illa: cum vel sine vindicta curaverit diversis typis imprimi,

F

privilegii illius tenorem in chartem conjecit, ex intempestivo amore erga Sacratissimum Imperatorem voluerit usum practicum fabularum antiquarum in Germaniam introducere, (w) istum usum practicum non probaret. (x) Posteriori casu, hic haberes specimen ineptæ interpretationis.

## §. XLIII.

*Interim vindicta manumittere hodie non prohibuitur, sed ridiculum.*

Nullum tamen est dubium, quia hodie potest dominus hominem proprium privata epistola manumittere, quin etiam possit, si velit, & Magistratus ejusmodi comœdiis annuit, manumittentem, ejus caput raso vertice tangens, in gyrum agere, addita formula: Hunc hominem liberum esse volo. Poterit succinere Magistratus: Ajo te liberum more Quiritium: Poterit licitori testucam tradere; ut ea caput servi pulset, & manu faciem ac tergum. Poterit pileum imponere, ac prænomen

mi, & Göckelii liber, quem citat, non sit ad manus, divinare non potui, an illa verba sint in diplomate Cæsareano, an vero interpretationis gratia adjecta.

(w) Tales clausulæ aliæ pariter ineptæ deprehenduntur etiam in privilegiis Comitum Palatinorum, ex eadem inutili intentione iis insertæ, quæ quidem in privilegiis extant, sed nusquam apparent in praxi,

quæ res adeo peculiarem differtationem meretur.

(x) Mallem enim scire, an Magnus Academia Chilonensis Rector ab illo anno 1652. hucusque multos homines proprios vindicta manumiserit? an fasces? an licitor Romanus fuerit adhibitus? an etiam manumisso hæc celebrata fuerit, cum ipse in balneum aut theatrum iret? &c.

nomen Domini manumittentis ei addere. (y) Sed vereor ut ætas nostra aut posterorum tale spectaculum jucundum sit vitura.

§. XLIV.

Sed nondum finis est ineptiarum. Etiam interpres juris Saxonici nomine Latinorum Junianorum, item conditionem torquet ad Germanorum Vassen & Tagewercken, (z) & ita rem magis implicat, quam explicat. Possunt equidem liberti nostri, & potissimum liberti mediæ ætatis, ac potissimum a Clero manumissi cum Romanorum libertis aut dedititiis comparari, sed accurate loquendo liberti Germanorum uti nunquam fuerunt cives Romani, ita nec unquam latini Juniani aut deditii.

Usus spurius Latinorum & dedititiarum.

§. XLV.

Igitur nec constitutiones Justiniani de latina & dedititia libertate tollendis in Germanorum libertis ullum usum habent. Quod enim apud Germanos nunquam fuit

Item constitutionum de Latin. & dedit. libert. toll.

F 2

(y) Hi enim erant ritus in manumissione per vindictam adhibere soliti. Vid. Torrent. ad Horat. Sat. 7. lib. 2. vers. 76. Huc spectat elegans locus Persii Satyras. v. 75. seq. Heu steriles veri, quibus una Quiritem Vertigo facit. Hic Dama est, non tressis agaso

Vappa, & lippus, & in tenui sarragine mendax. Verterit hunc Dominus, momento turbinus exit. Marcus Dama. Papa! &c.

(z) Interpres latinus jur. Saxon lib. 3. art. 44. Conf. Paul. Voet. ad instit. p. 126. n. 3. & 4.

fuit, id nec tolli potuit. Et si hic iterum ineptiat Saxonici juris Glossator, ex nimio juris Justinianeiamore. (a)

## §. XLVI.

*Ingenuitas  
an ex patre,  
an ex matre  
ut aestima-  
tur.*

Denique et si jure Justiniano ingenuitas ex matre aestimetur, non ex patre, moribus tamen receptum esse, ingenuitas ex patre judicetur, quidam statuunt, sed non probant. (b) Alii contra etiam nostro jure ex matre ingenuitatem judicari putant. (c) Sed verius est, moribus nostris ingenuitatem judicari neque ex patre solo, neque ex sola matre, sed ex utroque parente. (d)

(a) Glossator German. n. 6. ad d. art. 44. lib. 3. jur. provinc. Saxon.

(b) Voetius ad instit. de ingenuis p. 114.


(c) Hertius de homin. propr. sect. 4. §. 5.

(d) Jus Provinc. Alem. c. 101. §. 1. die Kinder gehören zu der ar-

gern Hand. Id est, si pater nobilis duxerit plebejam, filius non censetur esse nobilitatis ingenuae. Pariter si plebejus duxerit nobilem, filius erit plebejus. Conf. Petr. de Andlo lib. 2. de Imper. Rom. cap. 12 p. m. u7. & alia exempla apud Hert. d. l.

## COROLLARIA.

- I. Admissio Legatorum fuit ex officio humanitatis.
- II. Optimo jure rejici possunt legationes assidue.
- III. Quaestio de quarta Divi Pii, an sit omnium bonorum, an vero portio legitima, tota est inutilis.
- IV. Cessio ususfructus extraneo facta, non est modus amittendi cum.
- V. Querela non numerata pecunie praterlapso biennio non habet locum.
- VI. Orto in adibus incendio magis locatori quam inhabitanti incumbit probatio respectu culpa.




ULB Halle  
005 387 418

3









B.I.G.

Farbkarte #13

DISSERTATIO INAUGURALIS,  
DE

**USU PRACTICO  
DISTINCTIONIS HO-  
MINUM IN INGENUOS ET  
LIBERTINOS,**

QVAM

*RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*

**DN. PHILIPPO WILHELMO,  
PRINCIPE BORVSSIÆ, MARCHIONE BRAN-  
DENB. ET DUCATUS MAGDEB. GUBER-  
NATORE, RELIQUA.**

*EX DECRETO ET AUCTORITATE ILLUSTR. FCTOR. ORDINIS  
PRÆSIDE*

**DN. CHRISTIANO THOMASIO,  
POTENTISSIMI BORUSSIÆ REGIS CONSILIARIO  
INTIMO, UNIVERSIT. FRIDERICIANÆ DIRECTORE  
AC PROFESS. PRIMAR. ET FACULTAT. JURID.  
ORDINARIO, h. t. DECANO,**

**PRO LICENTIA,**

**SUMMOS IN VTROQVE JURE HONORES ET PRIVILE-  
GIA DOCTORALIA LEGITIME CONSEQVENDI  
IN AUDITORIO MAJORI**

*AD D. J. OCTOBR. ANNO MDCCXI. HORIS ANTE ET POMERIDIANIS  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT*

**RNOLDUS von der PORTZEN, CLIVIA-CLIVENSIS.**  
HALÆ MAGDEBVRGICÆ, LITERIS SALFELDIANIS.

1601. 626.  
Alt.  
1967  
1711  
236

